



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 7. In quo consistit cognatio quæ contrahitur in baptismo?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

De Sacram. Baptismi. Cap. VIII. 105

Quaest. 4. In quam aetate esse debent Patrimi?

Resp. Ut praescribitur in Rituali Romano his verbis. Hos autem Patrimos saltem in aetate pubertatis ac Sacramento Confirmationis consignatos esse maximè convenit. Id est, anno 14. completo pro Patrimis, & 12. pro Matrimis.

Ritual, Rom.

Quaest. 5. Quare requiritur ut Patrimus confirmatus fuerit?

Resp. Rationem affert sanctus Antoninus, dum ait. Nascitur homo in esse spirituali per Baptismum, & vivit utique vitâ gratia, sed adhuc est quasi debilis in vita spirituali: sed per Confirmationem vel Chrismationem confirmatur quasi perveniens ad aetatem robustam ut possit bellare, & fortia agere. Unde ut debilis accedens baptizandus ad hoc debet sustentari ab alio, qui tamen debet esse Chrismatus. Nam debilis non est idoneus ad sustentandum debilem, ne ambo simul cadant.

S. Ant. 3. p. tit. 14. c. 30. S. ult.

Quaest. 6. Quotnam esse debent, qui puerum de fonte suscipiant Patrimi aut Matrimae?

Resp. Numerum praefixit Concilium Tridentinum his verbis: Volens itaque sancta Synodus huic incommodo providere, & à cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit, ut unus tantum, sive vir, sive mulier, juxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum, unus & una de Baptismo suscipiant.

Sess. 14. De Refor. c. 20.

Quaest. 7. In quo consistit cognatio, quae contrahitur in Baptismo?

Resp. Ut ait Bonifacius VIII. relatus in Canone: Nedium inter baptizatum & illum qui eum suscepit de Baptismo, ac inter eundem baptizatum & suscipientis filios & uxorem ante susceptionem carnaliter cognitam ab eodem: imò etiam inter suscipientem patremque

Can. Nedium. De cognat. spirit. in sex. 10.

baptizati & matrem, cognationem spiritua-
lem in Baptismo contrahi jure constat. Quae
cognatio & contrahendum matrimonium im-
pedit, & dirimit post contractum, & eadem
quae de suscipiente dicta sunt, etiam de bap-
tizante censenda. Nota, ait Divus Antoninus,
quod Laicus qui baptizavit aliquem, siue in
causa necessitatis, siue extra, non potest con-
trahere cum illa quam baptizavit.

S. Ant. p. 3.
tit. 1. cap. 15.
§. 3.

D. Tho. in
suppl. 3. p. 9.
56. art. 1. in
corp.

Hic autem observandum est cum sancto
Thoma, quod quando asseruimus cum Con-
cilio Tridentino per cognationem spiritua-
lem impediri matrimonium, distinguendum est.
Sicut carnalis cognatio, ait Divus Thomas,
impedit matrimonium; ita spiritualis ex Ec-
clesia statuto. Tamen distinguendum est de
spirituali cognatione, quia aut praecessit ma-
trimonium, aut sequitur: si praecessit, impe-
dit contrahendum, & dirimit contractum: si
sequitur, tunc non dirimit vinculum matri-
monii. Sed quantum ad actum matrimonii,
est distinguendum, quia aut spiritualis cogna-
tio inducitur causa necessitatis, sicut cum Pa-
ter baptizat Filium in articulo mortis, &
tunc non impedit actum matrimonii ex neutra
parte: aut inducitur extra casum necessitatis
ex ignorantia; & tunc si ille ex cuius actu
inducitur, diligentiam adhibuit, est eadem
ratio sicut de primo: aut ex industria extra
casum necessitatis; & tunc ille ex cuius actu
inducitur, amittit jus petendi debitum; sed
tamen debet reddere, si petatur, quia ex cul-
pa ejus non debet aliquod incommodum alius
reportare.

Quaest. 8. Contrahitur ne aliqua spiritualis
cognatio, cum baptizato jam puero, supplen-
tur tantum ceremoniae Baptismi?

Resp. Minimè: Sicut cognatio carnalis, ait